

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1748)
Heft: 9

Artikel: Brevis dissertatio de varia reipub. Turicensis forma inde ab ultima eius memoria usque ad tempora Rodolphi Brunii, perpetuo cos.
Autor: Brunius, Rodolphus
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394620>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 16.05.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

Brevis Differtatio
de varia
REIPUB. TURICENSIS FORMA
inde ab ultima ejus memoria usque
ad tempora
RODOLPHI BRUNII,
perpetuo COS.

§ I.

ERit operæ pretium rem paullo altius repetere, & quæ fuerit Civitatis Tigurinæ inde ab ultima ejus memoria pro diversa temporum ratione varia conditio, carptim exponere. Mitto equidem, quæ de primis hujus Urbis incunabulis jam Abrahamidarum tempore inclytæ, poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis a domesticis Annalium Scriptoribus traduntur: Datur hæc venia antiquitati, ut miscendo humana divinis primordia urbium augustiora faciat. Tigurinos tamen antiquissimos Galliæ populos fuisse extra controversiæ aleam positum est, neque nomen Tigurinæ gentis novum aut ignobile, Latinis quippe & Græcis Scriptoribus antiquis *Plutarcho*, *Straboni*, *Cæsari*, *Floro*, *Eutropio*, *Orosio* invidendis prope laudibus memoratum: Et si *Cæsarem* audiamus, Tigurinos olim non tantum pari cum reliquis Gallis libertate usos; sed virtute etiam superiores fuisse aperte profitetur.

§. II.

Per hæc tempora Helveticæ civitates, in quibus Tigurina non postrema fuit, ab Optimatibus regebantur, & ex more illius ætatis, si quod gravius periculum impenderet, Principem aliquem aut belli Ducem multitudo deligebat, cujus ad arbitrium judiciumque summa omnium rerum conciliorumque rediret: Et ne quem invadendæ tyrannidis libido sollicitaret, indicto vivi-comburii supplicio, quas damnatum pœnas sequi oportebat, prudenter cavebant: quod Orgetorigis exemplo constat, qui adfectatæ dominationis apud populares suspectus & hoc crimine damnatus, ne igni cremaretur, cruentas ipse sibi manus intulit. Atque hæc Reip. forma ad funestam illam in Hædus, primo ab Julio Cæsare inflictam, mox ad Vindonissam ab Aulo Cœcinna acceptam cladem facta tecta mansit.

§. III.

Post ubi Romani Helvetiorum libertate oppressa agrum omnem in provinciæ formam redegebant, quam deinceps Burgundiones & Allemanni, hisque profligatis Franci infestis armis occupavere, tum paulatim antiqua Helvetiorum gloria ita concidit, ut ne nomen quidem gentis ruinæ superesset. Demum post longam annorum seriem Tigurum, cujus memoria penitus oblitterata fuerat, caput rursus extollere, & mutata nonnihil pristina nomenclatura paulatim inclarescere cœpit, exstructis ad utramque Limagi ripam, tum a Ruperto e regio Francorum sanguine creto, tum a Ludovico Germanico duobus Monasteriis, Canonico-rum altero, altero Virginum vestalium: hæc ab
ipsis

ipsis Conditoribus primum liberalissimis beneficiis & privilegiis aucta atque instructa, mox hominum, qui aliquo religionis horrore movebantur, munificentia insigniter locupletata, indies majores & fortunæ & dignitatis accessiones habuerunt; ita ut brevi tempore opibus, curtibus & servorum seu mancipiorum ministeriis, qui in antiquis tabulis *homines de familia sanctorum* nuncupantur, abundarent: hinc major indies hominum frequentia, tum amœnitate, tum etiam opportunitate loci capti certatim huc commigrare instituit: Et frequens jam erat civibus ædibusque, sed nonnisi in villæ modum excultum Thuregum: Fert tamen fama quædam haud obscura, Carolo Crasso regnante, de oppido muniendo & mœnibus cingendo jam cogitatum, atque hoc opus perfectum fuisse cum post paullo Hungari Germaniæ graviter incumbentes usque ad has oras vastando excurrissent; exploratum certe hoc est sub Henrici Aucupis imperio Urbis titulo & præconio insignitum esse Thuregum.

§. IV.

Jam vero si quæritis, quis novum oppidum imperio rexit, quis civibus jus dixerit, quæ in foro ac publicis judiciis per hæc tempora ratio obtinuerit? Paucis accipite! Summum quidem Imperium penes Regem erat, qui tamen Comitibus diviso in certas provincias regno, hi vero suis Advocatis, gubernationis summam & juris dicendi potestatem commiserunt: Advocata in Mallum publicum populi concione Comes vel Advocatus partibus auditis causaque cognita unum alterumque e populo sententiam rogabat, in quam plures

res discessissent, quibus suffragiorum jus erat, eam quoque ratam habebat: Et tanta quidem erat hujus judicii auctoritas, ut ne quidem Canonorum aut sacrarum Virginum possessiones sine hoc praesidio ab intentata lite vindicari potuissent, cujus rei plurima extant & luculentissima documenta, ex quibus intelligimus, nullam ea tempestate Monasteriorum in cives & urbem fuisse potestatem.

§. V.

Seculo deinde ineunte XII. Henricus IV. Imperator Jurisdictionem & praefecturam imperialem Turegum Berchtoldo II Zæringensi in feudum hæreditarium tradidit, cujus auctoritate mox abrogata esse Mallorum publicorum judicia, constituto certo Senatorum aut Consulum ordine, qui in causis gravioribus sub Advocati auspiciis sententiam dicerent, perquam verisimile est: Etenim ab anno MCXI Consulum illorum nomina in antiquissimis Fastis consularibus parum interrupta serie memoriae prodita legimus. Post hæc veneno nobilitatis fraude e medio sublatis Berchtoldi V. Filiis, ac Zæringensium stirpe deleta Thuricenses in spem melioris fortunæ erectis animis pulcre sibi oblatam hanc opportunitatem sedulo captare, diligenter eandem habere, illorum temporum licentiam in usus suos convertere, libertati & augendæ & stabilien-
dæ unice studere, res suas domi bonis Legibus, Consuetudinibus & institutis firmare prudenter cœperunt.

§. VI.

Et profecto Seculo XIII. æquis Legibus hanc civitatem jam floruisse, Codex ille Legum & statutorum Reip. Thuricensis, qui vulgo *der Richt-
Brief*

Brief dicitur, abunde docet: Ex quo simul constat, quæ fuerit hac ætate regiminis forma. Rem scil. Tigurinam XXXVI. Viri, diviso in duodenos per partes tres anno administraverunt, ita ut qui XII. Kal. Januarii inierant, pridie Kal. Majas magistratu abirent, sicque quadrimestri spatio sibi mutuo succederent, magna hætenus æquitate & Reip. bono quoad simplicitas moresque prisci valere: Hi magistratus ex equestri ordine & patriciis familiis legebantur & in comitiis ab universa civitate designabantur; & quanquam maxima horum fuerat auctoritas atque potestas, ea tamen certis limitibus ita erat circumscripta, ut in gravioris momenti rebus aut comitia populi essent convocanda, aut provocatio ad populum daretur, qui simul legum ferendarum jus summamque majestatem sibi vindicaverat. Atque sub hac regiminis forma per duo fere Secula temporum felicitate; magistratuum, qui ad clavum sedebant, in rebus dubiis, prudentia & concordibus civium studiis, res Thuricina indies majora cepit incrementa: Et enim Fridericus II. perspecta & explorata hujus civitatis fide, & constantia prorsus invicta maximis illam beneficiis atque privilegiis ornavit auxitque.

§. VII.

Cum vero post ejus obitum plurium annorum interregno Imperium turbaretur, ipsi Thuricenses providi, ne quid vel hominum, vel temporum licentia detrimenti res illorum publica caperet, cum Vraniis Sutiisque medio Seculo XIII. fœderis societatem primum instituire, mox ne Imperii sede vacante sine Capite essent, Rodolphi Habsburgici fortissimi Ducis, fidem ac præsidium adversus

versus ingruentes undique timores implorare, cuius ductu præclare factis famam simul cum finibus extendere, contigit; hic ubi deinceps ad tractandas Imperii habenas accessisset, parem suæ in Thuricenses voluntatis h. e. summam benefaciendi facultatem consecutus, memor pristinae illorum virtutis, liberalissime eos semper habuit. Ita brevi Res Thuricensium, fama, libertate, opibus, dignitate aucta, Seculo XIII. præcipite jam satis prospera, satisque pollens videbatur.

§. VIII.

At vero, (quod *Plinius* in *Panegyrico suo* recte observat): *Habet has vices mortalium conditio, ut adversa ex secundis, & ex adversis secunda nascantur;* id ipsum quoque hic usu veniebat; postquam enim proximo XIV Seculo Optimatum illud imperium, quod initio conservandæ libertatis, augendæque fuerat, in superbiam dominationemque convertit, ac ex iustissimo & optimo crudele intolerandumque factum est, tum fortuna sævire ac miscere omnia cœpit: Tum enim Senatorii ordinis homines odiis inter se certare, per factiones in partes abire, omnes summum locum adpetere, eo cuncta vertere, suam quisque familiam per ambitum adtollere, reliquos parvi pendere, jam haud dissimulando superbiam, provocatione ad populum sublata, raros aditus concedere, colloquentibus difficiles se præbere, ex alienis malis ventri atque profundæ libidini sumtus quærere, de jure pauca, cetera ex arbitrio judicare, fas atque nefas exiguo discrimine habere, postremo tanquam urbe capta lubricine ac licentia sua pro legibus uti, spemque omnem in scelere ac perfidia habere:

Tum

Tum vero etiam, quod caput rei fuerat, ærarium & publica vectigalia tot diffidiis & simultatibus in varia trahere, rapere, spoliare, & inde per inopiam oneribus insolitis plebem civesque premere, lacerare. Et ne quid supra fidem dixisse videar, omnem maledicentiæ suspicionem a me summovebit *Joannis Vitodurani*, qui ea ætate vixerat, candidum & apertum testimonium; *Consules*, inquit, *civitatis*, prout illis imponebatur, *communes fructus & quæstus civitatis*, qui pingues & multi sunt, *dolose sibi longo tempore usurparunt*, & *frivola statuta ratione carentia*, *ipsis quidem proficua & lucrativa*, *communitati vero damnosæ & discriminosa ediderunt*, *hocque nemo reclamare vel retractare ausus est*. Et quidem Libertas juxta bonis & malis, strenuis & ignavis optabilis est; verum eam plerique metu deserunt, stultissimi mortales, & quod in certamine dubium est quorsum accidat, id per inertiam in se quasi victi recipiunt.

§. IX.

Erat autem ex aliquo tempore in Consulium ordinem adscriptus equestri splendore Vir floribus virtutum plurimum redimitus, ut VITODURANO audit, RODOLPHUS BRUN, qui cum diu multumque civium suorum, legum ac libertatis causam in Senatu strenue egisset, collegarum libidini acriter obstitisset, ac cum factione nobilitatis haud mediocriter decertasset, necquicquam tamen obnitendo proficeret, Patrum denique superbiam ad plebem criminatus, maxime in hoc consulare imperium tanquam nimium nec tolerabile liberæ civitati invehebatur: Dominos immoderata infinitaque potestate, quam sibi insolenter arro-

arrogarent , qui soluti atque effrenati ipsi omnes metus legum , omniaque onera verterent in plebem , quæ ne æterna illis licentia sit , nisi malint servire æternam servitutem , jam nunc providendum esse ; si animus sit , non de fore auxilium : Sibi quidem non esse obscurum , quantas opes nobilitatis solus , impotens , inani specie magistratus pellere dominatione incipiat ; sed præter spem bonam ex civibus suis , quæ metum vicerit , se ita statuere , certaminis advorsa pro libertate potiora esse forti viro , quam omnino non certavisse : His atque aliis civitatis animos , insolentia nobilium & recenti injuria faucios ita accendebat , ut in publicæ libertatis defensionem graviter conspirarent.

§. X.

Placuit a medii ordinis Duodecimviris , qui civitati maxime iniqui & invisi erant , ineunte Junio mense anni MCCCXXXV administratæ Reip. rationem pro jure suo repetere ; qui cum id se facturos pertinaciter negarent , quatuor præterea sui ordinis viros , qui improbis illorum studiis parum favebant , minis perterrefacerent , Brinium ut Reip. turbatorem & seditionis facem convitiis proscinderent , denique seditiosam civitatis licentiam gravissimis pœnis coercendam esse , ultro adjicerent ; tum vero justa civium ira in furorem erupit , quo exagitati graves libertati Dominos in curia coactos uno impetu oppressissent , nisi moniti fuga salutis suæ prius consulissent. Inde habita concione populi primæ Duodecimvirorum classi omnium suffragio Reip. cura commissa est , reliqui secundæ classis magistratus jam non obscure peculatus arcegebantur , qui urbis Thesauros brevi dissiparent ,

rint, eamque gravi ære alieno obstrinxerint, iisdemque dies data, qua causam dicerent, & qui innocentiam suam populo non probarent, digna pro gravitate sceleris pœna adficerentur: Ex his igitur octo male sibi conscii urbe excefferunt, cæteri cum se apud concionem purgassent, sponte magistratu abierunt: Illi, qui excefferant, cum se statò die populi iudicio subiecissent, pecunia multati & in triennium, qui minimum, ab urbe relegati sunt, fide prius data se nullam contra cives conspiracyonem facturos; ignominia quoque pœnæ addita, ne ipsi liberique eorum in Senatum legantur. Hac severitate iudicii territi reliquorum ordinum Senatores causæ suæ timere cœperunt, & novem ex eorum numero in exilium abierunt; quibus exilium ratum fuit, bona publicata sunt: Ex reliquis, novem alii pecunia multati & ad biennium relegati sunt, eaque ignominia notati, ne vel ipsi, vel nati illorum in Senatum amplius legerentur; quæ pœna deinceps ad hunc modum aucta est, ne unquam exules restitui possent, quod contra fidem datam cum Joanne Habsburgio Rupertivillæ Comite perfido cive suo societate fœderis constituta patriæ bellum intulissent, principio per prodiones & fraude, post aperto Marte.

§. XI.

His e civitate ejectis jam populus Tigurinus id sibi etiam atque etiam animo prospiciendum esse censebat, qui rem suam domi stabiliret communiretque: Habitaque deliberatione decretum est, ut Tribus, quas jam olim Tiguri fuisse imperatoria Ludovici confirmatio aperte testatur, postliminio revocarentur, & æqua omnibus libertas

constitueretur : Hoc consilio Rodolpho Brun , a-
 cerrimo libertatis vindici , supremus & perpetuus
 in Rep. magistratus cum summa describendarum
 Legum potestate una voce commissus est , adjun-
 ctis quatuorviris , quorum fides maximis in rebus
 cognita atque explorata erat , qui Principem ci-
 vitatis in administranda ad tempus Rep. & consti-
 tuenda nova regiminis forma consiliis suis adjuva-
 rent : Hi confestim Legibus condendis operam da-
 re , ingentique hominum expectatione propositis ,
 populum ad concionem advocare , & quod bo-
 num , faustum , felixque Reip. , ipsis , liberisque
 eorum esset , legere leges jussere : Se quantum in-
 geniis provideri potuerit , omnibus summis infi-
 misque jura æquasse : Plus pollere multorum in-
 genia consiliaque , versarent in animis secum
 unamquamque rem , agitent deinde sermonibus ,
 atque in medium , quid in quaque re plus minusve
 esset , conferrent : Eas Leges habiturum populum
 Tigurinum , quas consensus omnium invalisse ,
 nec jussisse latas magis , quam tulisse videri posset.

§. XII.

Hæc autem erat novi regiminis Legibus descri-
 pti forma , ut Consulatus perpetuus primo penes
 Rodolphum Brun esset , cui diem obeunti unus e
 quatuor Collegis , qui superesset , semper succe-
 deret ; ea tamen lege , ut posthac annuus foret
 consulatus : Deinde quo plus virium in Senatu
 frequentia etiam ordinis faceret , numerum ad
 XXVI. Virorum summam explere placuit ; in qui-
 bus XIII Senatorii ordinis Viri nobiles & ex splen-
 didissimis familiis oriundi a Consule & Duumviris
 ad hoc designatis in Senatum adscripti ; totidem-
 que

que cives tributim a populo liberis suffragiis lecti, tribunitia potestate, quæ præcipuum libertatis munimentum foret, ornati, consiliis omnibus interessent: Hi per vices singulis solennibus Joannis Baptistæ & Evangelistæ feriis potestatem deponerent; in quorum locum alii delecti pari spatio eam tenerent, quo emenso cederent & ipsi rursum, aliis deinde sedem vacuam relicturi, aut Consulis arbitrio, aut plebis suffragio tributim creandis. Hæc præcipua erant novarum Legum momenta ac capita, quas cum avidus novæ libertatis populus miro animorum consensu jussisset, Consul ne postmodum flecti precibus aut donis corrumpi possent, juris-jurandi religione obstrinxit, unde publicæ illæ Legum tabulæ, quæ nova regiminis forma descripta legitur, Titulo *des Geschworenen Briefes* insigniuntur: Datumque est primum hujus Instrumenti exemplum ante hos quadringentos annos Festo divæ Mariæ Magdalænæ anno restauratæ Salutis MCCCXXXVI.

§. XIII.

Harum Legum summam quoties æqua animi lance perpendo, dicere profecto non possum, an ipsarum Legum vim & æquitatem, quibus libertati ac Salutis publicæ abunde cautum est, ne in posterum ex paucorum impotenti libidine injuriam aut detrimentum capiat; quibus etiam jura summis infimisque ita æquantur, ut nullum nisi de virtute inter illos certamen superesse possit? An summi condendarum Legum Auctoris Rodolphi Brun incredibile fovendæ ac promovendæ Libertatis studium, probatamque in describenda hac novarum Legum forma prudentiam? An populi

Tigurini modestum & gratum in recuperatæ salutis vindices & custodes animum? An denique ipsorum temporum felicitatem, quibus sine multis magnisque Reip. cladibus hæc rerum conversio, quæ plerumque funesta esse solet, certa ratione modoque facta est, magis mirandam ac deprædicandam censem?

§. XIV.

Simili quondam temperamento teste Dion. Halic. L. VII. Romani in creandis magistratibus usi sunt; neque enim nobiles tantum & patricios, sed equites quoque & plebeios ad honores promiscue adhibebant; ne pars civitatis ab altera fastidiri & despici videretur: Magistratusque ipsi ex omni genere summi & mixti; nec summis nec infimis suspecti essent: Atque hæc olim fuit M. Valerii prudentissimi Senatoris & fortissimi ducis sententia, quum persuadere vellet Senatui plebem ad dignitates & Reip. munia admittendam esse: Vix aliud, inquit, utilius est ad salutem Reip. tuendamque libertatem, quam assumi plebem ad res gerendas, & administrationem Reip. ita temperari, ut nec penes solos optimates, nec solos plebeios sit, sed utrimque mixta: Quamvis vobis non timeo, ne nimia felicitate corrumpamini, qui nuper civitatem liberaistis a diuturna tyrannide, & nondum nacti estis otium ad insultandum aliis: Sed dum posteritatem vestram cognitione præcipio, quantasque mutationes longum ævum adferat, vereor, ne quando potentiores Senatores novatis rebus imprudenti civitati tyrannicam dominationem inferant. Verum si plebem ad Remp. admiseritis, atque forte extiterit (existere autem posse putandum

dum est) qui velit plus posse, quam alii, & in Senatu aliquam factionem paraverit, die per Tribunos dicta aut provocatione ad populum cogatur rationem factorum & inceptorum plebi reddere: Denique quo majorem terrorem proposueritis legum transgressoribus & morum corruptoribus, adhibendo superbis & avaris hominibus multos observatores & custodes, tanto firmiorem habebitis Remp. Haftenus ille.

